35.

Johannes Magirus Davidi Pareo.

de Ao 1603.

S. P.

Accepi tandem, mi Parée, ingens responsionis tuæ volumen ad duo argumenta, quibus 26. thesin expugnari posse nihil dubitabam, neque fefellit me opinio, adeò ovavida est, quam adduxisti, solutio, quod nete merè à me dictum intelligas, ordine video tibi esse respondendum ad capita singula, sunt autem præcipua quatuor. Infamem testem versum irinacis te producturum: Bellarminum efficere vis dixisse, quod tu homini affinxisti: Ex Irenæo nos hæreticos esse demonstrasse te putas: denique argumentum utrumque simplici solutione vel eludere vel dissolvere conaris, quæ cujusmodi sint breviter accipiam minuta quædam, quæ amarè satis hinc inde inspersisti prætereunda judico et quæ ad rem minimè faciunt, et rixandi non veritatis inveniendæ occasionem præbere possunt.

Inconsideratè certè à te factum est ut illum, nescio quem Hermannum in thesibus contra Catholicos adduceres, cum hominem anteà non cognovisses, et à me tandem moruit serio, quàm dignitas tua postulabat, inquireres, quis esset, à quo autem didiceris nescio, appellari ais Wolfgangum Hermannum, atque tamen manet obscurus atque ignotus. Laboro igitur ut prodeat cum de testimonio dicam me idem sentire, quod Hosius.

Bellarminum dixisse aut confirmasse usquam ex Scriptura sola, absque traditione sufficienter haberi posse, Scripturam sacram Canonicis libris comprehensam esse verbum Dei, et certam ac stabilem regulam fidei, nego, et argumentum quod tu id efficere conaris nimis est vanum et ineptum. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 2.

ex scriptura ostendit libris Canonicis contineri verbum Dei. Ergò Bellarminus confirmat ex sola scriptura id haberi.

Quæ Catholicis objicis, ut ex Irenæo efficias esse hæreticos, nego omnia, à vobis fieri multis ostendit Fevardentius in Commentario ad eum locum Irenæi unde verba sumpsisti, si lubet, legere poteris in editione ultima. Ego exemplum unum addam: sæpè quidem vestris hominibus objeci locum Luc: 22. v. 20. τȣ̃το τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, et cum adeò fortis clarusque sit ad fidem Catholicam, de vero sanguine Christi in calice, confirmandum, multos vidi sic irretitos atque constrictos, ut expedire sese nullo modo potuerint, et qui aliquid adferre è vestris magistris conati sunt, ea fecerunt quæ Irenæus dixit facere solere hæreticos. Vide infamem annotationem Bezæ ibidem, qui suspicatur esse manifestum soloecophanes, et cum reclamarent codices græci omnes et ipsa conscientia sua, tamen est ita vertere. Hoc poculum est novum illud fœdus qui pro vobis effunditur, itaque et verbo et re criminatus est scripturam non recte habere &c. Idem facinus notare poteris, si voles, in vestro Tremellio. Calvini hæc sunt, in Harm. ad cap. 26. Matth: v. 28. Nullè superstitiosi sunt Papistæ, et similes, dum verba mordicus arripiunt lib. 4. inst: cap. 17. par: 20. Utrumque verborum Christi revere in tiabang ... quorsum ... figuratè intelligere debuit, quæ sunt apertè dicta,

non est tamen hic satis justus praetextus, cur eas
quas contra objicimus rationes respuantur ?
non igitur verbo Dei nititur fides vestra, sed
rationibus vestris.
Argumenta denique mea videris tibi pulchre solvis-
se cum dixisti, ea testimonia quae ex Esa. 59. Ose. 2.
Matth. 28. Eph. 5. adduceram pro infallibilitate testi-
monii Ecclesiae, intelligenda cum limitatione κατὰ
τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. Eph. 4. v. 7. neque anim-
advertis hac ratione nodum te non solvere sed
fortius stringere. Quid enim? numquid Apostolus
illam mensuram donationis Christi satis indica-
vit, cum dixit v. 11. 12. &c: hunc finem Deo proposi-
tum fuisse in constituenda Ecclesia in Apostolis
pastoribus et Doctoribus dandis, ut jam non simus
parvuli fluctuantes et circumferamur omni ven-
to doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad cir-
cumventionem erroris. Unde ita concludo. Quem 1.
Deus ipse dedit magistrum coelestis doctrinae, et in
hunc finem dedit, ut jam non simus parvuli &c: ne
in errorem inducamur: ejus in docendo testimoni-
um est infallibile. Neque enim Deum impedire
quisquam potest, ut finem, quem sibi proposuit,
non consequatur. At vero Ecclesiam magistram
dedit coelestis doctrinae et in hunc finem &c:
dedit &c: Ergo Ecclesiae testimonium infallibile.
Rursum τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ indicavit 2.
Apostolus 1. Tim. 3. v. 15. Ecclesia Dei vivi, quae est colu-
mna et firmamentum veritatis, ad quem locum
Beza, neque enim Ecclesiae auctoritatem detrahimus,
in qua una regnare Dei veritatem dicimus. Ipsi
igitur alibi dicitis errare posse, aeris contami-
natam esse, meretricem et fieri posse, et fa-
ctam esse &c:

3. Ne sim longior τὸ μεῖζον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ decla-
ravit Dominus ipse Matth: 28. v. 20. Ecce ego vo-
biscum sum omnibus diebus usque ad consumma-
tionem seculi; et Joh: 14. v. 16. Joh. 16. v. 13. cum
venerit Spiritus sanctus docebit vos OMNEM
VERITATEM, quam aperte, quam fortiter re-
fellit illud suum ἐκ μέρους: τὸ μεῖζον denique
τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, ex ore Domini malumus di-
scere, quam ex vestra interpretatione. Act. 1.
Eritis mihi testes in Judaea &c: Act. 10. Praecepit
nobis praedicare et testificari &c: et passim prae-
dicatio Evangelii testimonium vocatur 2. Thess.
1. 1. Tim: 2. 2. Tim: 2. Act. 20. Joh. 15. Unde sic
4. colligo: Quem testem Deus ipse producit ejus testi-
monium est infallibile. Ecclesiam testem veri-
tatis ipse Deus produxit. Est ergo Ecclesiae te-
stimonium infallibile. Quamobrem, quaeso te,
mi vir, ne veritatem Dei in injustitia deti-
neas et dicere pergas testimonium Eccle-
siae sponsae Christi, corporis Christi, testis Christi
&c: esse fallibile, naevis respersum, incertum, ex
parte &c: non audiamus ait S. Aug. lib. de uni-
tate Ecclesiae. cap. 3. haec dico, haec dicis sed audiamus
haec dicit Dominus. Quod si Deo ejusque Ecclesiae glo-
riam dederis et veritatem hanc tot argumen-
tis, tam claris tamque firmis munitam admise-
ris, tum vero pergam inquirere ubi vera Eccle-
sia magistra veritatis invenienda sit, apud
vos, an vero apud Romanos. Nam nisi id con-
stitutum semel sit, Ecclesiae nunquam testimo-
nium esse infallibile, frustra quaeritur ma-
gistra naevis infecta, labilis, incerta. Et cer-
te satis mirari nequeo vestram sapien-
tiam qui et apud vos velitis videri esse

veram Ecclesiam, et tamen eam incertam fal-
libilem, erroribus obnoxiam magna pertinacia
asseritis, prudenter profectò sic ratiocina-
bimur eum qui decipi, qui falli, qui errare
nolit, longissimè à vobis recedere debere.
Deus te suâ gratiâ dignetur. Spirae 16. Oct. an: 1603.